

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Maxentii interitus in ponte Tyberis. Cap. XXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII DE VITA

videm, dici non potest, qualia patrando, subiectos in servitutem redegerit, adeo ut iam in tanta tamque extrema alimentorum ad vitam necessariorum egestate inopiaq; constitueretur, quantam non alias Romae extitisse, homines nostri temporis affirmant.

*Copie Maxentii in Italia fusæ.*

CAP. XXXI.

**Q**uare his rebus omnibus ad misericordiam inductus Constantinus, omni apparatu militari se ad defendam tyrannidem armavit. Atque Deo omnium moderatore sibi patrono antè oculos proposito, & Christo seruatore adiutoreq; inuocato, & salutari signo, tanquam victoriæ trophæo antè armatos suos & satellites collocato, cum toto exercitu procedit, Romanis libertatem, quam à maioribus accepissent, recuperaturus. Cùm verò Maxentius machinis præstigiarū magis quam subiectorum benevolentia consideret, & nullo modo extra portas ciuitatis egredi ausus esset, & omnem locū, agrum, & ciuitatem etiam, quæ ipsius subiiciebatur imperio, ingenti armatorum multitudine, & infinitis copiis muniisset, Imperator Constantinus Dei auxilio nixus, primam, secundam, & tertiam tyranni aciem adoratur, & omnibus primo impetu perfacile subactis, uniuersam propè Italorum peragrat regionem: adeo ut iam quam proximè Romam aduentaret.

*Maxentii interitus in ponte Tyberis.*

CAP. XXXII.

**D**einde ne dum tyrannum ob sideret, etiam Romanos ipsos oppugnare cogeretur, Deus ipsum ty rannum, tanquam catenis quibusdam ex vrbe extrahit, longoque interuallo à portis constituit, & opera sua iam olim contra impios edita, inque sacris literis, tanquam in tabulis inscripta (quæ quamuis fabulæ loco apud plerosq; habeantur, fideq; careant, tamē pro certo creduntur) re ipsa, omnibus, ut comprehendam breui tam

tam infidelibus quām fidelibus, qui has res gestas tā admirabiles oculis aspicerint, vera esse confirmavit. Quē- *Exod. 14.*  
 admodum enim ipsius Moysis & antiquorum ac piorum Hebræorū temporibus, currus Pharaonis, eiusq; copias deiecit in altum, & delectos ascensores satellitesque regios in mari rubro demersit: Sic & Maxentius, quiq; cum eo erant armati & stipatores, velut lapis in profundum Tyberis gurgitem præcipites deciderunt. Nam cum ty-  
 rannus, Dei virtute Constantino opem ferente, terga dedisset, & in fuga flumen ex aduerso obiectum (in quo lintribus iunctis, & ponte artificiose fabricato, machi-  
 nam qua Constatinum adeo Deo charum è medio sub-  
 laturum sperauit, ad suum ipsius interitum construxerat) traicere cœpisset, deusq; Constantino benignus præstò tulisset auxilium, & tyrannus eius ope destitutus, clan-  
 destinas & occultas machinas miser contra seipsum fa-  
 bricasset, adeo ut illud commodè in ipsum dici possit,  
*Psal. 7.* Lacum aperuit, & effudit eum, & incidet in foueam, quā  
 fecit, Conuertetur labor eius in caput eius, & in verti-  
 cem ipsius iniquitas eius descendet. tum Dei nutu, ma-  
 chinarum in pontis iunctione collocatarum, & fraudis in  
 eisdem latitantis transitus, tempore minimè sperato sub-  
 sedit, ruitque ac de improviso lintres, cum ipsis viris in  
 altum gurgitem præcipitati sunt: Ipseq; infelix primus,  
 deinde satellites eius & stipatores (sicut diuina loquun-  
 tur oracula) in rapidum flumen, tanquam plumbum di-  
 lapsi: Vti Constantinus cum suo exercitu Dei præfatio  
 victoriam asscutus, merito sanè licet non verbis, re ta-  
 men ipsa, similiter cum Israelitis & egregio dei famulo  
 Moysè, eadem ipsa, quæ ille olim contra impium tyran-  
 num Pharaonem cecinisset, Sic quodammodo suai  
 concentu fuderit dixeritque. Cantemus domino,  
 gloriose enim magnificatus est: equum & ascensem deiecit in mare. Adiutor & protector factus est mihi ad  
 salutem. Et quis similis tibi in diis domine, quis similis  
 tibi? Gloriosus in sanctis, admirabilis & præclarè faci-  
 ens prodigia.

*Exo. 15.**De Cor.*